

† **R. P. Aloisius Kraft.**

(*Prov. Germ. super.*).

† **R. P. Aloisius Kraft.**

(*Prov. Germ. super.*).

Die 16 maii a. 1925 ultimus illorum sodalium nostrorum mortuus est, qui anno 1873 legibus iniquis patriam nostram relinquere coacti sunt, in quam viginti annis post reverti potuerunt. Una cum P. Aloisio Kraft aliquantum rerum in provincia Germaniae superioris gestarum in sepulchrum descendit. Si quis ante annos triginta pallidum et ingeniosum eius vultum perspexisset, ossa et pellem se videre arbitratus esset. Sed vigore et hilaritate Tirolensi hic praecipue homo vitam omnium suorum in exsulando sociorum superavit.



P. Kraft in oppido Kufstein archidioecesis Salisburgensis in Tirolu natus est die 21 iulii a. 1838. Pater ibi fabricam caementariam habuit

Aloisius, cum Merani et Oeniponti studia gymnasialia absolvisset, in seminario et facultate theologica Salisburgensi studiis philosophicis et theologis operam dedit et die 28 augusti a. 1861 sacerdos ordinatus est. Quatuor deinde annos in cura animarum laboravit, quos in una statione

Ebbsensi egit. Anno 1865 cum parochiano quodam Ebbsensi Vetero-Oettingam peregrinatus in ecclesia ibi S. Magdalенаe, ad quam nostrum tum collegium erat, desiderium expertus est Congregationem nostram ingrediendi. Nihil cunctatus iam die 29 septembris a. 1866 votis religiosis inter filios S. Alphonsi cooptatus est. Septem annos deinde e collegiis Vetero-Oettingae et Garsii tranquillis laboribus in missionibus nostris et exercitiis spiritualibus operam dedit, donec anno 1873 hi labores exsilio interrupti sunt.

P. Kraft legibus iniquis patria pulsus in propinquam Austriam concessit et in archidioecesi Salisburgensi iterum sedem fixit. Priores decem annos in Kirchentale, quo loco multi homines peregrinationum sacrarum causa conveniunt, ecclesiae curam egit. Ibi enim Patres e Bavaria expulsi mox hospitium constituerant. In Waidring, qui locus a Kirchentale itinere duarum horarum distat, tum P. Gasparus Stamm parochi cooperatorem egit, quocum P. Kraft altera quoque hebdomade convenire solitus est, ita ut alterutrum amore fraterno et auxilio spirituali consolari possent. Deinde in aliis quoque duobus hospitibus Salisburgensibus in Monte arido (*Dürrenberg*) et *Hundsdorf* ac denique in collegio provinciae Austriacae Leobnensi moratus est, et in multis missionibus in ducatu Salisburgensi, in Stiria et Bohemia laboravit.

Cum provincia Germaniae superioris in patriam redire potuisset, P. Kraft primum quidem in Monte arido mansit, ut parvum iuvenatum, qui ibi constitutus erat, moderaretur. Qui tum in iuvenatu fuerunt discipuli, grato animo paternam eius curam recordantur, quam in eorum et in scientiis progressum et corporum salutem impendit. Cum in Bavariam revocatus esset, breve tempus domibus Garsensi et Deggendorfensi praefuit et Niederachdorfii ministri munus egit, sed multo magis ac maximo studio in laboribus apostolicis occupabatur, quamquam iam sexagesimum annum attingerat. Magno spiritus fervore contionabatur, in confessionali vero tanta patientia et benignitate erat, ut a multis patris aurei cognomen acciperet. Ubicumque in missionibus desudavit, memoria eius etiamnum recens est. Anno 1909 collegio Deggendorfensi ascriptus tertium ordinem S. Francisci moderandum suscepit confessionesque plurium communitatum religiosarum excipiebat, dum vires suppetebant. P. Kraft confessarius clero populoque acceptissimus fuit. Etiam clericorum nostrorum exercitiis praefuit, praesertim ordinandorum, in quibus has maxime sententias animis inculcabat: « Ita, Pater, quoniam ita placitum fuit ante te. — Potius in Congregatione ultimus, quam in mundo primus. — Pauper foris, ditior intus gratia ac virtute ».

Festa semisaecularia sacerdotii anno 1911, professionis religiosae anno 1916 celebrare potuit, et Deo propitio etiam ad sexagesimum anniversarium sacerdotii diem corpore animoque vegetus pervenit. Tandem media

nocte diei 16 maii 1925 corona senectutis octoginta septem annorum ornatus placidissima morte in Domino obdormivit.

P. Kraft per totam vitam suam religiosam vere genuinum S. Alphonsi filium se praebuit. Cum rem familiarem non modicam accepisset, paupertatis tamen fuit amantissimus. Testamento suo rogavit, ut se mortuo imagines memoriae causa vel nullae, vel vilissimae distribuerentur. Vitam delicatam summo odio habuit. Cum in ultimo morbo frater aegri minister levamentum aliquod ei subministrare vellet, aegrotus nonaginta paene annos natus ex eo quaesivit, num se effeminare vellet. Cum Rector vesperi, antequam cubitum iret, ei benedictionem daret, senex gratus Rectoris natu multo minoris manu prehensa se superioris sui benedictionem optime sentire confirmavit.

Nunc vir hic religiosus, pius et modestus, sedulus ac semper hilarus, a longa peregrinatione multisque laboribus requiescere et cum S. Augustino, ita speramus, exclamare potest: *Deus, patria animae meae!* R. i. p.!